



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

De impositione manuum, quae est Ordinum Ecclesiasticorum collatio, ac  
institutio ministrorum. Cap. 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

## P A R S P R I M A.

## D E M U N E R E E P I S C O P A L I.

*Officium Episcopi, post verbi predicationem, consistit potissimum in impositione manuum, & visitatione Ecclesiarum.*

**E**piscopi munus in duobus potissimum consistit. primum, in impositione manuum, quæ est Ordinum Ecclesiasticorum collatio, ac institutio ministrorum: deinde, in Visitatione Dioceseos. Vtrumque beatissimus Apostolus, ad Titum, dilectum filium, Cretæ Episcopum, scribens, complectitur: Hujus, inquit, rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ defunt, corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros; sicut & ego disposui tibi. Alterum vero idem Apostolus, cum à Mileto discessum maturaret, profecturus Hierosolymam, ac certus quod amplius haud visurus esset faciem eorum omnium per quos transivit prædicans regnum Dei, vocatis illò ad se ab Epheso Ecclesiæ Presbyteris, Apostolica vehementia inculcat, cum ait: Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Et quoniam scio, inquit, quod intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis exurgent viri, loquentes perversa, ut abducant discipulos post se; propterea vigilate. Cui muneri ut ambo illa Apostolici ordinis eximia luminaria, nimirum Petrus ac illius collega Paulus, satisfacerent; alter transivit & invisit universos, alter perambulavit Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum: nimirum non tantum verbo, sed & exemplo Episcopos commonentes, ut, qui speculatores in Dei Ecclesia constituti sunt ac appellantur, Provinciæ sibi mandatæ vigilantissime intendant, fidem, conversationem, mores & vitam singulorum explorent examinentque, ac provideant, ne alicubi quis in ea vocatione, ad quam à Deo vocatus est, torpescat.

**C A P. I. De impositione manuum, quæ est Ordinum Ecclesiasticorum collatio, ac institutio ministrorum.**

**I**mpositio manuum, est ostium per quod intrant, qui Ecclesiarum gubernaculis admoventur. Proinde, quia ejulcemodi ostium dili-

genter custoditum non est, factum est ut tanta mala, quæ sentimus, agminatim in Ecclesiam Dei irruperint. Hujus januæ vigilantissimi custodes fuerunt Apostoli Christi, & quotquot ipsis successerunt Apostolici Episcopi. Inprimis verò divinius Paulus, qui, dilectissimis discipulis Timotheo ac Tito, ejulmodi custodiae formulam ex professo præscribit. Porro Apostoli, cum esset in locum Iudæ proditoris deligendus duodecimus collega, statuerunt duos ex his viris, qui cum ipsis congregati fuerunt in omni tempore, quo intravit & exivit inter eos Dominus Iesus, probatissimos, electionem alterutrius Domino committentes. Ad hæc, cum essent deligendi primi illi Ecclesiæ Diaconi, Apostoli, convocata discipulorum multitudine, dixerunt: Considerate fratres ex vobis viros boni testimonii, plenos Spiritu sancto ac sapientia, quos constituamus super hoc opus. Atque illi (cum placuisset hic sermo) coram omni multitudine elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu sancto, ac reliquos sex, quos statuerunt ante conspectum Apostolorum: qui dein non temere, sed orantes, illis imposuerunt manus. Denique de Barnaba, per Apostolos ad Antiochiam destinato, refert Scriptura: Quoniam Apostoli miserunt Barnabam, quod esset vir bonus & plenus Spiritu sancto ac fide. Quibus exemplis edocemur, quanta cura ac delectu manus impositionem fieri oporteat. Beatus Apostolus inter alia Timotheum sic alloquitur: Commenda, inquit, quæ audisti à me per multos testes fidelibus, qui & idonei erunt alios docere. Et iterum: Manus nemini citò imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. A qua regula cum longè lateque discessum sit, affectibus privatis sibi omnia vendicantibus, morbus obortus est pluribus, atque ita radicans, ut vix spes mendendi relicta sit. Neque tamen, in mediis & exulceratissimis morbis, de remedio desperandum erit, sed tanto magis de pharmaco idoneo cogitandum providendumque.

**C A P. II. Ad certum titulum, Ecclesiæ Ministros Canonice deligendos ordinandosque.**

**Q**uoniam verò primitivæ Ecclesiæ facies, quod ad institutionem ministrorum attinet, paulatim immutata fuit; nimirum dotatis templis, sacerdotiisque ac certis stipendiis, ministrantibus, constitutis: visum subinde

Tit. 1.

Act. 20.

Act. 9.  
Act. 15.1 Tim. 3.  
Tit. 3.  
Act. 1.

Act. 6.

Act. 17.

2 Tim. 2.  
1 Tim. 5.Ex Con-  
cil. Laco-  
ran. sub  
Alex. 3.